



TABULA CENTESIMA DECIMA OCTAVA.

CAMPANULA ALPINA. *Limn. syst. pag. 160. Jacq. vindob. pag. 210.*

Campanula foliis ellipticis hirsutis, petiolis alaribus unifloris, floribus glabris. *Hall. hist. helv. num. 659.*

Campanula alpina pumila lanuginosa. *Baub. pin. 94.*

Trachelium pumilum alpinum. *Chuf. hist. CLXXI.*

Plantula elegans, rarius semipedem altitudine superans, tota magis minusve pilosa, ex radice subfusiformi, insipida, longa, foris fuscescenti, intus albida, perenni, & per ætatem multicapite exoritur. Caulis tener, simplex, striatus, annuus, & duas tresve lineas in diametro ad basin æquans, viret, erigitur, & foliis ornatur ad radicem confertis, cæterum magis sparsis, terminatus flore unico. Pedunculi axillares in foliis ferme omnibus, suberectos, striati, erecti, solitarii, superiores caule altiores, binis vel ternis foliis alternantibus instructi, apice sustinent florem unicum magnum & pendulum, omnino a tribus ad viginti, formantes simul omnes thyrsum ovatum laxumque. Folia sunt linear-oblonga, superne lætescentia varie in variis, obtusa, subsessilia, integra, inferiora rarius obsolete dentata, rarissime omnino glabra. Flores inodori carulescent. Calyx subhirsutus, monophyllus, inferus, profunde quinquepartitus, basi planus & rugosus, ac persistens, in laciniis dispescitur lanceolatas, acuminatas, planas, erectas, longitudine tubi corollæ. Petali interne pilosi laciniæ sunt breves, subrotundæ & concavæ. Nectarii valvulæ semiovaræ & carulæ. Filamenta antheras gerunt lineares. Germinis carulei semiovari trigoni nitidique basis adnascitur basi calycis ceu receptaculo, cæterum a calyce liberi. Stylus longitudine corollæ stigmatibus coronatur trifido. Capsula supera, subrotunda, obtusa, glabra, trilæcularis, in maturitate trifariam perforatur ad basin. Semina plurima, plana, margine membranacea, flavescunt. Crescit in summis jugis herbidis alpium, florescens a Junio ad Augustum, semina dans Septembri & Octobri. Ad latus capsula matura adpingitur cum semine.

TABULA CENTESIMA DECIMA NONA.

HIÉRACIUM MOLLE.

Radix perennis, nigricans, præmorsa, & fibris albis longis teretibusque instructa, gignit annuatim caulem simplicem, erectum, striatum, purpurascens, subhirsutum, foliosum, pedalem vel duplo longiorem, cujus summitas in pedunculos paucos dividitur unifloros aut bifloros, sesquipollicares, erectos & hirsutulos. Folia sunt ovalia, obtusa, integerrima, utrinque villosa, mollia, superiora sessilia, infima & radicalia paulatim angustata in petiolum aut simplicem aut submarginatum. Sunt hæc etiam in aliis individuis subdenticulata; atque iterum in aliis lanceolata, idque aut obtuse aut acute; ut sic a prioribus, magis frequentibus, differant haud notabiliter. Calyx oblongus constat foliolis in unica serie dispositis, nec imbricatis, subæqualibus, linearibus, acutis, erectis, concavis, atrovirentibus & hirsutis. Ad basin plerumque adstat squamula una alterave minima, vix observanda. Corolla satirate lutea, antheris & stigmatibus concoloribus. Semina striata rufescunt, coronata pappo sessili piloso, ad lentem dentato. Reliqua cum charactere Linnæano congruunt. Crescit ad margines sylvarum subalpinarum, ubi flores producit Julio, & semina Augusto. Ad Hieracium murorum proxime accedit, quocum sæpe mixtim crescit, vere tamen diversum, & foliorum in caule numero florumque colore, vel eminens ab illo distinguendum. Cultum in horto floret sub finem Maji & initio Junii; ex foliorum alis ramosior evadit; cæterum habitum haud mutat, ut etiam hic facillime distinguatur. Semen in margine exhibetur.

